

litus cogitarunt, alacresque in Metellum Pompejumque processere.

10 Pupugit Perpennam factionis Sertorianae socium honor, plausus, atque auctoritas tanti Ducis, cupiebatque ejus exercitum ad se trahere, suo nomine bellum gerere, affectusque militum a Sertorio vel infidiosè sejungere: quod cum praesentiret Sertorius, Oicae academiam instituit, ubi nobiles juvenes Hispanorum linguis Graeca & Romana erudiendos curavit; barbarie exule, sed in speciem: revera ut eos obsides haberet, ac parentes contineret in officio filiorum metu. Tum cum levi velitatione a Metello Pio, de quo dudum, esset victus, tantum arrogantia Metellus sumpsit, ut civitates ingrediens sacrificijs reciperetur, coronisque ac splendidis coenis, portarique juberet veste triumphali (uti dictum 14. Februar. n. 14.) tumque pueri puelaque carmina victoriae ejus gratulabundè canebant. Ridiculus profecto (subdit Plutarch.) qui tanto fastu gaudioque elatus fuerit, maximè cum exultantem, vel insultantem Sertorius post vicerit; quem ob triumphum cum a Sertorio regia esset instructa coena; a Perpenna ceterisque conjuratis, qui apud milites ejus invidiam conciliaverant (patera fracta, aggressiois signo) confosus est. Ibid. Perpenna pro Sertorio suffectus, nec ad parendum, nec ad imperandum habilis (cum ingratitude nota, quippequam a Sertorio inter haeredes scriptus) cum Pompejo Magno conflixit, a quo victus & a fuga retractus; nec visus nec auditus jugulatus est. Tunc prudentissimè se gessit Pompejus. Sertorij scriinia cum litteris Senatorum, qui Romam evocabant, in ejus potestatem venerunt: quas litteras in unum congestas, cum nec ipse legisset, nec legere quemquam passus fuisset igni tradidit. Ibid. & Briet. Ann. V. C. 681. Idem Caesar bello Pharsalico fecit, cum scriinijs Pompei. Goltz. in Caesar. cap. 60.

11 Hac in die retrò annis 231. Cneus Flavius libertino genere Appij Claudij Scriba, tabula marmorea fastos in foro proposuit. Ideo Aedilis Curulis factus aedem concordiae, magna nobilitatis invidia ac dolore dedicavit. Henric. Smerius in Fastis, & Organus; memoriamque faciunt Salian. & Briet. Ann. 450. Hic magna prudentia & industria vindex ac victor exivit, cum nobiles despicerent, & coram dehonore velent. Cneus Flavius Annij filius, dicitur ad collegam venisse, visere eorum; & in conclave postquam introivit (refert Aul. Gellius,

6. cap. 9.) adolescentes ibi complures nobiles sedebant. Hi concemntes cum, assurgere ei nemo voluit. Cneus Flavius Aedilis arrisit: Sertorian Curulem jussit sibi afferri. Eam in limine apposuit, nequis illorum exire posset. Utiq; hi omnes inviti viderent, sese in sella Curuli sedentem. Idem apud Luc. Pisonem, in 3. Annal. Alex. Neapolit. 4. cap. 20. & Valer. Maxim. 2. cap. 5. num. 2. qui refert, non propter editos Fastos, assumptum in Aedilitatem; sed factum Aedilem fastos vulgasse, totoque foro exposuisse.

12 VII. Idus Martij signatur dedicatio statuarum Marc. Tritani & filij, ob quem patri tantus honor. Gruter. in Theaur. Critic. Tom. 1. pag. 700. De utroque Plin. 7. cap. 20. & hic Dalecamp. Solinus verò paulo aliter cap. 4. etiam refert eorum singulare robur. Ex Varrone enim in relatione prodigiosa fortitudinis, insit: Tritanum gladiatorem natura Sammitem fuisse, qui & rellis & transversis nervis non modo crate pectoris; sed & manibus cancellatis & brachijs, omnes adversarios levi tactu, ac per se securis congressionibus vicerit: ejusque filium militem Cn. Pompeij pari modo natum, ita sprevisse hostem provocantem; ut inermi eum dextra & superaret & caput digito uno in castra Imperatoris sui reportaret. Adrian. Turneb. 25. Advers. cap. 10. alruit, immum fuisse gladiatorem. Placet Franc. Florido, Sylloge Var. lect. lib. 2. cap. 7. unum in tot victorias litteris Ephesinis, vel Alectorio lapillo, de quo Solin. quo supra. Sane Alectorius (insit) traditur lapis, crystallina specie in modum fabae, aptus praeliantibus. Marc. Tritanum cum Milone Crotonienti, contendisse & vicisse (etsi Milo uteretur praefata gemma Alectorio, ut diximus ex Plinio die 3. à n. 24.) alruit Georg. Draud. in loc. cit. Solin. fusiisque Aelian. 12. de Var. histor. cap. 23. Milonem (ait) elatum animum ob corporis robur gerentem, in Titormum (ita Tritanum vocat) bulcum ajunt incidisse: cumque videret Titormi corpus aspectu prae grande virium ejus experimentum sumere voluisse. Titormum verò se non admodum robustum esse dixisse. Cum verò ad certamen descendisset, abjecta veste, maxima molis lapidem primum quidem ad se traxisse; deinde remississe, & hoc bis aut ter fecisse: tunc eum usque ad genua sustulisse, atque postremo sublatum in humeros, usque ad octo orgias (Vernaculè Brazas) & abjecisse: Milonem verò Crotoniatam vix movere lapidem potuisse. Secundum deinde certamen hoc erat. Ad gregem abiit & stans in medio, maximum serissimumque taurum pede prehendit; qui cum vellet effugere, non valebat.

Ejus ingenium & ars.

Tritani statura.

Alectorius gemma.

Robur Tritonij singulari.

Milonem vici.

alium

Academiam Officiorum eervit.

Metelli Pij fastus.

Perpenna jugulatur.

Pompeij illustre faciunt.

Fasti Romani promulgati.

Cn. Flavius Aedilis.

alium item accedentem, attractum pede similiter tenuit: quo viso, Milo palmas ad caelum extendit; O Jupiter inquam, num hunc alterum Herculem nobis dedisti? Hinc ortum proverbium: Hic est alter Hercules. Ex Athenæo idem refert Rhodigin. lib. 21. cap. 36.

13 Athenis sacra Minerva & Moria, id est, Stultitia, seu Desipientia. K. Græc. Intuitus sacrorum divinandus; quandoquidem Minervæ, id est, Sapientia ac Prudentia imago erat cum noctua, modo effigiem ejus gerens super caput, modo ad pedes, ut observat Charar. de Imagin. pag. 245. Pier. Valer. 20. à cap. 13. Natal. Comes, 4. Mytholog. cap. 5. & Coel. Gregor. in Observat. Mythologic. cap. 18. Malè convenire videtur Stultitia cum Sapientia, nec speciem habere cum noctua, prudentie iconè; maximè cum Moria fingatur saltans, ricè crotalorum, cucullo ridiculo, crepitacula tenens, ac de sono sibi potissimè placens, super arundinem equitans, ac fatuissimè tripudians in spectatorum ritum, quasi Minervæ venerabilis probrum. Duplex color, praet aucupor, inest societati imaginum, indicante hieroglyphicè aliquod didascalicum varià positione imaginis noctuae, juxta caput aut pedes imaginis Minervæ; ut constet quando stultitia Sapientia, vel e contra. De noctua dicitur, lucem fugere, ac in tenebris videre. Picinell. 4. Mund. Symbolic. à n. 499. ita quidem ex scientia, ut in rebus gerendis emicet prudentia vel stultitia.

14 Sæpissimè prodest stultitiae velamine sapientem cogitationem occulere: proprièque tunc sapere, stultum fieri. Claruit scitè ignota prudentia Davidis mens, ubi simulavit nec micam mentis habere. 1. Reg. 21. à 13. Hinc Marc. Senec. Controv. 9. de Gallo Bivio: Accidisse uni scio (ait) ut in insaniam non casu incideret; sed judicio perveniret.

Ovid. Forstran hoc studium possit furor esse videri: Sed quidam furor hic utilitatis habet. Accinit Ovid. 4. Trist. Eleg. 1. v. 38. Stetton. in Vespasian. cap. 5. insit: Mirum, quod adhuc se mentis compote deliraret. Homer. 23. Iliad. v. 430. Tanquam non audienti similis. Unde Ovid. 2. Fastor. v. 217. succinit de Jun. Bruto: Brutus erat stulti sapiens imitator, ut esset Tutus ab insidijs.

Ut praelibavimus, 17. Januar. à n. 10. & 25. Februar. à n. 11. Mendax stupor est, & fingitur arte dolosa: jugularetur Sapientia, si floreret. Judicaretur insania, & ut vi-

Ovid.

Cur sapientia velamine stultitiae?

Idem.

geat floret Moria; quapropter Minerva habet ad pedes noctuam; quippe congruit aliquando propriam calcare sapientiam.

15 Alius imaginum color tendit in scolorum philautiam, qua simul colitur & Minerva & stultitia: qua de causa de Philosophis dicitur Plutarchus, fatuos scientijs fieri. Athenas homines ire (dicebat) ut Philosophi fierent: post, ut exirent idiotæ. In effigie noctuae super Minervæ caput constat eruditionis propositum. stultum facit improba secta: canit Tertull. Carm. in Senator. v. 63. Obijctur stultus, dum vult apparere doctus.

Quisquis plus justo non sapit, ille sapit. Martialis inquit, 14. Epigram. 210. de quo plura diximus in Tautologijs, maximè Tom. 5. l. 9. à n. 52. Per noctuam indicari vanæ sapientiae studium, refert Pier. Valerian. d. cap. 15. Per ejus conditiones apprimè describuntur vanæ sapientiae iherafones; sed verè expertes. Amittit noctuae tenebrarum sanguines diugunt, ad luminis splendorem illico horreant. Luce cæcutiunt, obscuritate jactabundè illuminantur.

Nec trepidant, qui sibi sapientes videntur Esse, indagatores artificesque vocum: Stultos maximè esse judicandos.

Euripides inquit in Medea à v. 1225. Noctua ipsa (ait Ambros. 5. Hexæmer. cap. 24.) quemadmodum glaucis magnisque oculorum pupillis nocturnarum tenebrarum caligantem non sentit horrorem; & quò fuerit nox obscurior, eò contra usum avium caterarum inoffensos exercet volatus. Exorto autem die, & circumfuso splendore Solis, visus ejus hebetatur quasi quibusdam erret in tenebris. Quo indicio sui declarat esse aliquos, qui cum oculos habeant ad videndum videre non soleant, & visus sui officio fungantur in tenebris. De cordis oculis loquor, quos habent sapientes, & non vident, in luce nihil cernunt, in tenebris ambulant; dum demoniorum tenebrosa rimantur, & caeli atra se videre credunt. Sic igitur sapientia stultissima, ubi crotalis ornata, noctua collocatur super caput Minervæ.

16 Insignia stultitiae in his balatronibus vidit Joann. Menckenius, de Eruditor. Charlataneria, declamat. 2. pag. 174. ubi: Hodie plerisque deprehendimus (inquit) mirà vocis contentione, vultu multiformi, oculo vago & perulanti, jactatis brachijs, saltantibus pedibus, lascipientibus lumbis, ac varijs moribus, inversionibus, circumductionibus, resupinationibus, saltationibus, gesticulante toto corpore, animi videlicet mobilitate ipsum secum volvente, ad populam pro-

Martialis.

Ardeliones in sibilis.

Euripid.

Conditio Noctuae.

Audacia & cenodoxia scolorum, literulis desipientium.



proclamare, memores Demosthenis sententia, qui interrogatus, quidnam esset in dicendo efficacissimum? Respondit, Hypocrisis. Taxat ejusmodi stolidissimam sapientiam, ac sapientem in risum stultitiam Sebastian. Stadelius, nomine Trajansmi. Ita de Circumforanea literator. vanitate, pag. 291. inquit: Pedantissimus est ambitio ex hujusmodi eruditione nata, qua versatur in rebus non maximi momenti. Hac ambitio quia inopiam iudicij prodiit, non potest non gignere facta meprisima, & qua largam prebeat ridendi materiam. Color uterque expositus, ut constet, cur Moria, sive Stultitia cum Minerva.

Lustratio insulae Lemni.

17 Hac etiam die, 9. Munychionis, lustratio insulae Lemni. Gyrald. de Ann. & Mensib. n. 33. Causa expiationis fuit crudelis trucidantia foeminarum Lemniarum, quae quidem despicientes Venerem, ceteris Dijs in sacrificijs celebratis plausu, illam proposito pratermiserunt. At illa dividi percita retrum foetorem Erinny vocata in illas immisit, ut mariti eas fugerint, & ad servas retenderint Thraces, quas ex bello captivas abduxerant. Uxores haud aequo animo injuriam ferentes una nocte mares cunctos jugularunt. Deinde veritate, ne cum filij adolevisent patres truncatos ab illis ulciscerentur; illos ad unum trucidarunt. Natal. Comes, 4. Mytholog. cap. 13. & fuse Eurip. in Hippolyt. Propter hujusmodi carnicinam insulae quotannis fiebat expiatio, per navem quam vocabant Theotim. Fuit & Theoris sacra Lemniorum (refert Philostrat. Heroic. in Neopolem.) qua Lemnus ipsa quotannis expiatur ob scelerratum facinus in viros, commissum a mulieribus, & in nonum diem ignis, qui in ea erat exinguebatur. Alius asseritur ex insula Delo. At si primumquam insula posset expiari, ad illam navis accedere non posset, nulli regionis insulae appellere fas erat; sed in pelago vagabatur, quousque Lemnum attingere valeret. Cum autem navis accessisset post invocationem Deorum terrestrium & Arcanorum, ignem civibus distribuebant, omniaque sua in melius mutabant, per adventum ignis ex Delo veeli, ac in mari vigilanter custodiri. Idem narrat Gyrald. de Navigij, cap. 8. & Quint. Smyrneus, seu Calaber, 9. Paralip. a v. 338.

Hypsipyle pietas.

18 Inter foeminas duntaxat Hypsipyle pia, qui patrem occulte servavit; uti diximus, 13. Januar. n. 7-16. Februar. n. 17. Lemnus insula sacra erat Vulcano, quia ibi cecidit, quando pulsu pedis summi Numinis in terras dejectus. Ibi erat terra sigilla-

ta, quae malorum medicamentum, immo alexipharmacum, ut dicunt, Isagog. Decembri. n. 11. sed tantum terra, ubi cecidit Vulcanus, uti observat Philostrat. d. in Philoet. ubi: Gleba Lemni, in quam cecidisse Vulcanus dicitur; insanos expellit morbos, sanguinis profusum sistit, & ex Serpenibus nativis morsus occurrunt. Addit Natal. Comes, d. lib. 2. cap. 6. Est calida quadam vis terra ejus insula, cujus usus vermes necat, si fiat ex ea lustrum cum vino albo: atque non parum prodest illis etiam qui venenum hausserunt, multasque alias facultates praterea obtinent. Idem Coel. Rhodigin. 23. cap. 29. Qua de causa subdit: cum Apollinem Smyntheum consulisset Philoetes, ictus sagittis Herculis hydræ veneno tinctis; justus est pro sanitate in Lemnum abire, quod utique restituendus perfectæ valetudini ex ulcere gratiæ terræ sigillata. Adi, 3. Februar. n. 12.

In Lemno terra sigillata.

Philoetes Janatur ita.

Melampus sacra.

19 Eodem die fiebant sacra Melampus, vel Melampodi apud Argivos. K. Grac. Festa signat Pausanias, cap. 42. ubi: Melampodis templum est. Sacrum faciunt & festum diem quotannis celebrant: futura vero prædicendi, neque ex somnijs, neque ex alia ulla ratione scientiam tribuunt. Dicit vero Apollodor. 1. Bibliothec. n. 20. Melampus cum ruri esset, ac pro suis adibus quercus existeret, in eaque serpentium latebra esset; occisus à ministris serpentibus, cetera quidem repulsa, congestis lignis concremavit, atque serpentium partus educavit: qui cum ad justum corporis modum increvissent, ipsum jam dormientem circumsternunt, & ex utroque humero illius aures linguis extergebant: tandem expergestus super volitantium avium voces intelligebat; & quæ ab ijs futura edocebatur, mortalibus prædicebat. Per aruspicinam praterea vaticinari, non ignorabat. Ad hæc, Apollini obviavit flucus; de cetero vaticinandi peritissimus evasit. Plura de hujusmodi superstitione diximus, Tom. 8. 7. 10. n. 41. Etiam addit Pausanias aliquot præstigiatorum, cap. 146. & cap. 60. inquit: Furor foeminas invasit; ut cum intra domesticos parietes contineri non possent, per totum agrum palantes; inventus est tandem Melampus, a quo sanatae sunt.

20 Apud Cretenses quotannis 19. grad. Solis in Piscibus celebrabatur in vitam revocatio Glauci, filij Minois, Regis Insulae, qui in Labyrinthum incluserat Minotaurum. Theopompus, lib. 16. & Phocius in Biblioth. Variæ ab AA. fit hujus fabulae narratio: equidem alij ab Æsculapio, ut refert Hygin. Fabul. 49. & lib. 2. n. 4. alij à Polyido, ut vult Natalis Comes, & ipse Hygin. Fabul.

Glaucus in vitam revocatus & quomodo.

136. restitutum ad vitam asserunt. Glaucus puer cum murem insequeretur (& ut alijs placet, cum pila luderet) in dolium mellis cadens, suffocatus est. Hunc cum Minos quaereret, & oraculum consulere, illi responsum, illum in vitam restitutum filium, qui diceret, cui similis esset bos tricolor Minois, qui in agro patcebat. Hunc Polyidus similem esse dixit rubo. Statim à Minoe comprehensus, iussus est, & filium indicare & in vitam restituere. Natal. Com. 8. Mytholog. cap. 5. Oraculum ab Hygino, d. refertur: nimirum: Monstrum vobis natum est, quod si quis solverit, puerum restituet. Monstrum erat vitulus qui ter in die colorem mutabat, in album, rubeum & nigrum: Polyidus simile monstrum dixit mori, cujus fructus primo albus, deinde ruber, postremo niger. Coactus est augur Polyidus quaerere Glaucum, & ut suscitaret, jubet Minos cum puero in monumentum includi, quousque vivum redderet. Ille cum serpente ad cadaver properantem vidisset, interfecit. Hoc facto altera serpens ut parem suscitaret, herbam quandam attulit, cujus tactu, serpenti spiritum restituit. Eadem capitur à Polyide, Glauco applicuit, & ita revocavit in vitam halitum. Valeant nugæ, & ut magis amandentur, pende, quomodo fictum ad illum translata virtus prophetica Polyidi. Hic adactus Regis imperio, abiturus propriam domum, præcepit Glauco, ut in ejus faciem spueret. Quo facto omnem vaticinandi vim expuit, & peritiam expectoravit. Bonifac. Rhodigin. 12. Histor. ludicr. cap. 3.

Bos tricolor

Glaucus hausti vaticinia à Polyido.

DIES X. MARTIJ.

VI. Id.

1 Grad. 20. Solis in Piscibus, in quo Pegasus occidit matutino, & Milvus à sublimi deorsum vergit. Ptol. Vindemiator occidit, Arcturus emergit, & gelidus stat Aquilo. Colum. Felix signatur hic Piscium gradus à Dariot. A Firmico infaustus, qui sub illo nati, errabundi vagique per terras: sed Marte radiante, in prima etate erunt captivi & servi. Testimonio Alstedii in Uranom. & Andr. Argoli 3. Ephemerid. Arcturus oritur vesperè. Hoc in gradu juxta Junctin. lib. 5. & Firmic. d. cap. 17. oritur Heniochus: sub quo qui nati medici peritissimi. Vide Isagog. a n. 7. Luna noctu lucens. Sphaer. Arab.

Preparatur Agnus Paschalis.

2 Eligitur iussu Dei, cum populus esset in Aegypto, agnus anniculus immaculatus immolandus in Paschate & illa nocte edendus, in quo Phasæ Domini. Exod. 12. 3. In

aedes agnus deferebatur & custodiebatur, ut ad vesperam immolaretur præfato die, & ederetur nocte. Leon. Mar. Tunc Moyles & Aaron relinquentes regiam, profecti sunt in Rameffen, ut filij Israël ibi congregati pararent Agnum, die 13. præpararent; & sequerentur. Joseph. 2. Antiq. cap. 2. Ideo hodie Luna 10. parabatur Agnus & 14. immolabatur, quia prima dies mundi fuit die 11. & ante mundum 10. Lunaque fuit facta die 14. Petr. Comest. in Exod. 25. in Addition. 1. Sed insulse. Aptè, si diceret agnum illum significasse Christum Dominum, mundi tolerantem peccatum, uti Hebraeis dicit Petrus 1. Epist. 1. 19. Pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi & incontaminati, præcogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autem novissimis temporibus propter vos. Anno sequenti intimatio celebritatis Phasæ in monte Sinai juxta ceremonias ac cultum in Rameffe peractum. Numer. 9. à 1. Seder-Ol. cap. 7. Aliquibus placuit hujusmodi ritus abolitos, ita ut nullo modo stantes; nec baculos in manibus habentes in posterum celebrasse Phasæ, de quo vide Maldonat. in Matth. 26. 20. Mihi sententia non arridet: igitur loc. cit. Exod. v. 25. dicitur: Cum introjeritis terram, quam Dominus daturus est vobis, observabitis ceremonias istas. Patet in Azymis innumeris testimonijs. Ab hoc secundo Paschate ulterius per 39. annos haud Phasæ celebrant; quousque sub Josue Principe pervenerunt ad campestria Jericho. Josue, 5. 10.

Quare?

Indicitur Pascha.

3 Eodem die anni sequentis, oblatio Ahiezer pro tribu Dan in consecratione erecti Tabernaculi, eisdem muneribus, quibus Principes præcedentes. Numer. 7. 66. Post 38. annos, mors Mariæ eodem die. Ibid. cap. 20. à 1. Fuit Heroïna insignis, Soror Moylis & Aaron, & propter mortem ejus jejunium quotannis institutum in Israël. Leon. Mar. Scaliger. & Joseph. d. 4. cap. 4. Tunc murmuravit populus de aquæ defectu; quia propter Mariam (quæ portabat in pectore lapidem ex quo aqua) defecit, fato cum esset functa. Illa enim mortuâ aruit puteus aquarum viventium, quæ fluebant à Libano uberum ejus: hac enim de causa, cum esset populus sitibundus, Rex Arad, quasi desertum à Deo decrevit adoriri. Dignum ratiocinium cogitationibus R. Salomonis. Idem asserit Philo Bibl. in Antiq. Hebraic. Seder-Ol. cap. 10. ita effudit mira & fingit. Tres præstantes Pastores & nutritij asiterunt Israeliis, nempe Moyse, Aaron & Maria. Tria insignia dona illorum in-

Mariæ mors & jejunium.

Puteus aquarum datus populo per Mariam merita: columba ignis per Aaronis, Manna per Moyse.